



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Epistola ad Vicarios foraneos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

cum cæteræ omnia coram vberius exponet, tum pro salutari huius Prouincie cura, nostris etiam verbis ab ea supplex nonnulla petet, quæ vt consequamur, nos precibus summis obsecramus Sanctitatem tuam. Quam Deus Ecclesiæ sua incolumem conseruet diu, Mediolani,

Formula literarum ad Episcopos Provincie, de affixione, & promulgatione Concilij Provincialis.

**D**ie Sabbato, qui dies fuit 4. Idus Aprilis, decretorū quæ in Synodo Provinciali edidimus, volumē imprefsum Ecclesiæ Metropolitanæ valuis de more affigi, promulgarique iussimus. Cuius sane promulgationis testificatiōnem à Cancellario nostro Archiepiscopali excriptam atque obsignatam cum his literis coniunximus. Typis autem Mediolanensibus edita eorum decretorum volumina duo Amplitudini tuæ mitto: alia porrò quæ ad istius Cleri vsum opus erunt, hic haberi poterunt, vbi protius Prouintia ratione edita sunt quamplurima. De illis autem in Synodo Diocesana, quam Amplitudo tua proximè habitura est, legendis ac promulgandis, sicut non dubitamus, quin ipsa pro sua pastorali solitudine ad Provincialis Decreti præscriptum agat: ita speramus fore, vt in ijs ipsis exequēdis omnino adhibeat debitum, & studij, & diligentia industria que pastoralis officium. Quod vt planè prestat, per viscera Christi Domini hor tamur Amplitudinem tuam. Cui prospera & salutaria omnia à Deo precamur. Dat. &c.

Formula iurisurandi à testibus, Synodalibus præstandi in Concilio Provinciali, Habetur supra in Concil. 4. Prouin.

### A C T A

#### Synodi Diocesanae XL.

**I**llustriss. & Reuerendiss. in Christo Pater, & Dominus noster, Carolus Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Car-

dinalis, Dei & Apostolicæ sedis gratie Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanen. salutarem admodum, ac disciplinæ Ecclesiæ valde accommodatum & vtilem vsum cogendi quotannis Synodus Diocesana, ex sacri Tridentini, & Provincialium Conciliorum præscripto, quantum in se est, pro Archiepiscopali munere suo retinere & conservare volens, hoc anno 1584. Synodalem hanc vndeclimum conuentum, in superiori proxima decima Synodo de more indictum ad diem iiii. Maij, in Calendario primū adscribi, & per R. Archidiaconum solenniter sacro Epiphaniarum die ad præscriptum denunciari iussit, vt infra.

Denunciatio Synodi Diocesanae in Metropolitanā.

**H**O C item anno, dilectiss. ad Dei Omnipotentis, Beatiss. Marie semper Virginis, ac S. Ambrosij Confessoris, & beatorum martyrum Protasij & Geruasij, patronorum nostrorum laudem, Synodus Diocesana die iiii. Mensis Maij adiutrice diuina gratia celebrabitur. Piis igitur vestrīs precibus instate, vt Vrbs, & Diocesis hæc Mediolanensis, salutaribus augentur vitiæ Christianæ disciplinis, ex ijsq; fructus, suffragantibus corundem sanctorum patronorum nostrorum meritis, vberiores in dies afferat, in Domino.

Synodalis autem dies cum instaret, Illustriss. Archiepiscopus studium & operam Vicariorum foraneorum, & actionibus Synodalibus hac etiam ratione consuleret, his literis requisivit, quæ ad omnes scriptæ fuerunt.

#### Epistola ad Vicarios foraneos.

**R**E V. Vicari. Cum dies Synodalis iam instet, solitudinem tuam hoc tempore præmonere volimus, vt debito apparatu ad rem Synodalem fructuosè per nos peragendam instructus conuenias. Quidquid verò pro tui munieris ratione in isto Vicariatu animaduertisti, quod ad actionē Synodale spe-ctet,

et, nos quamprimum certiores facies; vt ante statum illum diem Synodi, opportunè consulere valeamus. Sedulò efficies, vt ad Vicariorum foraneorum conuentum, qui ante Synodum in ædibus Archiepiscopalibus de more habebitur, pridie eius diei benè mane accedas. Omnes autem Vicariatus tui Ecclesiasticos viros, qui ad Synodum couenturi sunt, admonebis, vt eorum quicunque iussiones ordinationesve nostras, vel visitatorum nostrorum, tum eas quæ ad ipsos pertinent, tum quò ad loca, & Ecclesiastis, & Capellas, altariave quæ obtinent, quibusve addicti sunt, secum afferant; ac præterea quæ in Synodo nostra iij. certis capitibus, de parochis, Clero, Ecclesiasticis, populoque sigillatim nominatimque distincta ac præscripta, ad Synodum Diocestanam accendentibus afferenda, referendave, atque agenda esse iussimus, accuratè omnia & singula præstent. Curabis etiam, vt quicunque in tuo Vicariatu beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinent, illius collationis prouisione literas seu Bullas afferant, aut si alicui Parochiæ, vel etiam Capellæ sine titulo inseruerint, literas deputationis facultative, quibus illud officium præstant, nobis exhibendas deferant. Qui verò quacunque de causa ad Synodum non accident, eas literas omnino ad nos preferendas tradant. Tu verò, præter cetera quæ pro munere tuo præstare debes ex eadem iij. Synodo, indicem potissimum, quem hoc tempore à solicitude tua maximè requirimus, in quo omnia cuiusvis generis beneficia tui Vicariatus diligenter ac sigillatim notata sunt, afferas: vacantia verò, à quibus legitimè administrantur, ad præscriptū instructionis quam hic adiunximus, connotabis, & describes, vt tandem hujus rei exactam cognitionem semel habeamus. In alium Indicem diem certum dedicationis vniuersiusque Ecclesiæ tui Vicariatus, si ex certis monumentis haberi poterit, referes, quem ad nos ante statum illum diem mittes omnino. Mediolani ex ædibus nostris Archiepiscopalibus v. Calen. Martij. M. D. LXXXI III.

Testes etiam Synodales in Ciuitate & Dioceſi constitutos his literis munieris suscepiti excitauit, & monuit.

## Epistola ad testes Synodales.

CAROLVS Cardinalis Archiepiscopus. Ren. dilecte. Iam dies Synodo constitutus aduentat; & quæ tunc tēporis per nos decernenda erunt, prius accurate sunt consideranda, prout huius nostræ Ciuitatis & Dioceſis necessitates in Domino postulant. Ut igitur ominino ad nos pro muneriſ à te suscepiti ratione quamprimum te conferas (debes enim ex Dioceſano & Provinciali decreto mense ante diem Synodalem) his nostris tibi significare voluimus; vt quid super eo agendum erit, mature postea deliberare possumus. Mediolani ex ædibus nostris Archiepiscopalibus pridie Calen. Martij. M. D. LXXXI III.

Vt etiam Illustris. Archiepiscopus actiones & rem totam Synodalem pīs religiosorum, & populi totius precibus adiuaret, orationem in vniuersis Monasterijs virorum & mulierom urbis, & in Parochijs item, epistolis ad eos scriptis, indixit.

Huiusmodi literarum ad regulares exemplum habetur supra secunda parte Actorum in Synodo Dioceſana viij. pag. 81.

## Epistola ad Parochos.

R E V. Parocho. Voi sapete, che alli 4. di Maggio con la gratia di Dio faremo l'xi. Sinodo nostra Dioceſana. Già dopò tant'anni che siamo in questo corso continuo di tale attione, non douerebbe esser necessario, che noi vi raccordassimo, quel che voi soletamente da voi ſteſſo douresti fare; nè meno che desiderassimo tutta la diligenza, che douete, & à voi, & al popolo voſtro, & alla Chiesa iſteſſa parochiale, che v'è stata data in cura. Contutto ciò v'auifiamo, che trà questo mezzo vi raccogliate bene ſpesso frà voi medeſimo, e con timorata e religioſa cōſcienza (che anco questa preparazione ricer-

cano